

publicum ex revelatione, sive quando tertio innocenti immineret grave damnum vitae, fortunae, honoris, vel famae; tum quia non tenemur cum gravi nostro incommodo promovere correctionem proximi, vel impedire ejus peccatum, neque lex charitatis aut reverentia sacramenti obligat ad gravius incommodum aut scandalum; non enim facienda sunt mala, ut evaniant bona. Plura vide apud *Sanch.* L. 3. d. 13., *Gobat* hic n. 536. et seq.

1254. Q. II. An Quid potuerit, ac debuerit prohibere sponso a contrahendo matrimonio ex eo, quod doctrinam Christianam ignoraverint? R. *Affirmative.* Patet ex epistola Encyclica *Bened. XIV.* (quae est in ejusdem Bullarii tom. 1. quadragesima secunda et incipit: *Etsi minime*, de doctrina Christiana populis tradenda) ubi §. 11. ita scripsit: *Verum cum matrimonio jungendi non sint, si Parochus, ut debet, prius interrogando, deprehendit, matrem seu foeminam, quae ad salutem necessaria sunt, ignorare; via tantae, ac tam luctuosae ignorantiae locum relinquet Episcopus, qui Pastores animarum moneat officii sui, et huic si desint, negligentiae repetat poenas.* Neque per hoc Episcopus aut Parochus dicendus est ponere novum impedimentum matrimonii, quia (ut idem Pontifex contra *Sanchez* L. 7. de Synodo Dioec. c. 29. n. 5. respondet) tantum sic inculcat impedimentum, quo illi ignorantes jam detinentur. Etenim qui fidei rudimenta ignorat, quae ex gravi praecepto scire tenetur, quamdiu illa non addiscit, cum potest, versatur in statu peccati mortalis, ac propterea jure ac merito a matrimonio contrahendo arcetur. Ibid. n. 6. docet, quandoque evenire, ut quis praecipua fidei nostrae mysteria et sciat et credat, caetera pariter, quae necessitate praecepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo perceperit, sed quia hebetis est ingenii, et exilis memoriae post omnem adhibitam diligentiam illa memoria retinere, et recitare non valeat: in hoc autem rerum statu non debet perpetuo arceri a matrimonio, quod est institutum in officium naturae, et propterea nemini sine propria culpa est denegandum, sed curabit Parochus, ut qui eo memoriae defectu laborat, frequenter audiat, quae semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur.

Ex his liquet, de quibus instituendum sit examen ante nuptias, scilicet de necessariis necessitate medii, et praecepti, de actibus fidei, spei, charitatis, doloris de peccato, de matrimonio, an sit sacramentum, de gravibus obligationibus conjugum etc. Quando examen sit instituendum, debet desumi ex consuetudine cujuslibet dioeceseos: per se loquendo praestaret, si praemitteretur tribus denuntiationibus, ut si forte ignari mysteriorum fidei esse reperiantur, adhuc possint instrui.

1255. Q. III. An Quid recte fecerit non assistendo matrimonio propter unicum testem de impedimento? R. *Affirmative;* est enim, teste *Bossio*, communis sententia Theologorum et Canonistarum, contra *Pontium* et *Dianam*, quod ad impediendum matrimonium, vel ad dissolvenda sponsalia sufficiat unus testis de impedimento, ut colligitur ex c. *Practerea*. 12. de sponsal. Item ex c. *Super eo*. 22. de testib.; et probatur: quia unus testis, si alioquin sit integritatis existimationis, saltem dubium facit valorem matrimonii, et oppositio impedimenti ipsis contrahentibus est favorabilis, ut evitent magna incommoda, quae incurrerent per matrimonium invalidum: ergo recte etiam egit Quidus, dum ipse rem non decidit, sed decidendam Ordinario relinquit.

ARTICULUS III. De impedimentis dirimentibus matrimonium.

Impedimenta dirimentia (de quibus singulis per singulos paragraphos nunc agemus) quindecim hodie numerantur, et designantur sequentibus versibus memoriae causa:

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si clandestinus, et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto:
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.*

§. I. Principia et resolutiones casuum de primo impedimento dirimente, scilicet de Errore.

1256. *Praenotanda.* Primo, errare juxta *S. Aug.* in *Enchir.* c. 21. est aliud pro alio putare. Unde error sive contractus erroneus hic potest dici actus, quo quis putat se contrahere cum hac, vel tali persona, quae tamen non est haec, vel non talis. Secundo, juxta q. 1. causae XXIX. §. 2. *Error alius est personae, quando hic putatur esse Virgilius, cum sit Plato: alius fortunae, quando hic putatur esse dives, qui est pauper, vel e converso: alius conditionis, quando putatur esse liber, qui servus est: alius qualitatis, quando putatur esse bonus, qui malus est.* Communiter error fortunae reducitur ad errorem qualitatis. Tertio, hinc alias error dicitur versari vel circa qualitatem personae intrinsecam, v. g. qui ducit personam, quam putat esse nobilem virginem, cum sit plebeja, aut corrupta: vel circa qualitatem personae extrinsecam, v. g. si ducat filiam, quam putat esse divitem, cum sit pauper. Si una pars se fingat talem, qualis non est, et sic inducat aliam partem ad contractum matrimonii, errori conjungitur *fraus et dolus.* Error subdividitur in antecedentem, et concomitantem. *Antecedens* dicitur, qui dat causam contractui, ita ut inducat ad volendum, et eo non existente, contractus non fieret: hic efficit, ut actus sit involuntarius, cum nil volitum, quin praecognitum. *Concomitans*, qui non dat causam contractui, nec inducit ad volendum; hic error non facit involuntarium, quia non causat aliquid voluntati repugnans; sed facit non voluntarium, quia non potest esse actu volitum, quod ignoratum est. Ita D. Th. 1. 2. q. 6. a. 8. in corp. Ex his statuitur:

1257. *Principium I.* Error personae, sive circa substantiam personae irritat matrimonium, et quidem jure naturae. *Ratio* est, quia error personae, si sit antecedens, facit contractum matrimonii involuntarium circa substantiale ipsius objectum, quod est ipsa persona determinata a contrahente; si vero sit concomitans, licet non faciat contractum positive involuntarium, facit tamen negative involuntarium, quia incognitum non potest esse actu volitum; ergo uterque error tollit consensum, qui tamen absolute necessarius est ad omnem contractum, idque ex jure naturali, cum contractus sit consensus duorum vel plurium in idem placitum. *Confirm.* ex q. 1. causae 29. supra cit. ubi expresse habetur: *Error vero personae et conditionis conjugii consensum non admittit.* Unde

1258. *Inferes I.* Quod Ecclesia in hoc impedimento dispensare non possit, quia ipsa non ponit hoc impedimentum, nec potest supplere consensum ad matrimonium requisitum.

1259. *Inferes II.* Quod neque valeat matrimonium infidelium cum dicto impedimento contractum, quia et hi subsunt legibus juris naturalis.

1260. *Principium II.* Error circa solam qualitatem personae: puta circa nobilitatem, divitias, virtutem, virginitatem, indolem bonam vel malam etc. non irritat matrimonium, tametsi proveniat ex dolo alterius contrahentis, et det causam contractui. Excipe primo, nisi contrahens actualem voluntatem habeat, et expressam apponat conditionem non accipiendi mulierem hanc in uxorem, nisi nobilis sit, aut virgo, aut dives etc. Secundo, nisi error qualitatis redundet in errorem personae. Primam par-

tem *Laym.* L. 5. t. 19. p. 4. c. 2. n. 2. vocat communem, et ratio est, quia stante errore circa qualitatem personae adest consensus absolutus in personam, cum qua contrahitur, et quae est objectum directum et substantiale hujus contractus; ergo sicut defectus accidentium non tollit substantiam rei, ita nec tollit consensum absolutum in rem ipsam. *Confirm.* 1. ex cit. q. 1. XXIX. §. 5. *Error fortunae, et qualitatis consensum non excludit.* S. Th. in 4. d. 30. q. 1. a. 2. ad 4. ait: *Diversitas fortunae non vitiat aliquid eorum, quae sunt de essentia matrimonii, nec diversitas qualitatis.* *Confirm.* 2. Matrimonium ex errore solius qualitatis initum nulla lege irritatur: ergo. *Confirm.* 3. Talis error tantum tollit consensum circa ignoratum: atqui rei substantia, scil. persona, non ignoratur, sed tantum qualitas; ergo non tollit consensum circa substantiam, sive personam. Denique si error circa qualitates vitaret contractum matrimonii substantialiter, vix ullum matrimonium subsisteret, ut patet ex lamentis conjugum dicentium: Si te novissem esse talem, numquam tibi nupsissem.

Ratio exceptionis primae est, quia consensus conditionatus non subsistit non subsistente conditione, cui alligatur: atqui consensus expresse supponitur alligatus qualitati personae: ergo qualitate illa non subsistente non subsistit contractus matrimonialis. *Ratio exceptionis secundae est,* quia si error qualitatis redundet in personam, impedit consensum circa objectum substantiale per ipsam qualitatem determinatum.

Applicatio principiorum.

CASUS I.

Laban habebat duas filias, nomen majoris Lia, minor vero appellabatur Rachel, quam diligens Jacob ait ad Laban: Serviam tibi pro Rachel septem annis. Consensit Laban; expletis septem servitii annis Jacob petiit sponsam suam Rachel a patre, qui vocatis multis amicis ad convivium, fecit nuptias, et vespere Liam introduxit ad Jacob. Facto mane vidit Liam, et dixit ad Laban: Nonne pro Rachel servivi tibi, quare imposuisti mihi? Genes. 29.

1261. Q. An validum et verum fuerit hoc conjugium? R. Fuit invalidum primitus ex errore circa personam, quia Jacob non consenserat in Liam, sed in Rachel; factum tamen postea est verum matrimonium, quando cognito errore novum dedit consensum. Ita expresse habetur in cit. q. 1. XXIX. §. 3. *Jacob ergo et Liam non fecit conjuges praecedens consensus, sed subsequens.*

CASUS II.

Raymundus mercator valde dives, ut cum nobilibus affinitatem contrahat, petit a Rapsace, quem nobilem esse putat, ejus filiam, eamque primogenitam, quam prae reliquis prudentem, pulchram, et pudicam esse audierat. Rapsaces loco primogenitae dat secundogenitam non aequae bonam, dicens eam esse primogenitam. Raymundus bona fide contrahit, sed compertis postea erroribus Rapsaci filiam remittit.

1262. Q. An hoc matrimonium fuerit invalidum ex eo, quod sponsa non fuerit nobilis et primogenita? R. Si utraque qualitas fuerit a Raymundo primario intenta, et sponsam non aliter, nisi sub conditione, si sit nobilis et primogenita, expresse et actualiter voluerit ducere, non fuit validum, quia error redundabat in personam; in solam enim nobilem et primogenitam consensit, et non in aliam; fuisset autem validum, si tantum in virginem praesentem, quam putabat esse nobilem et primo-

genitam, consensisset; quia tunc nullus error redundans in substantiam adfuisset. *Laym., Sporer* de imped. matrim. n. 7. et Communis. Dixi supra, si expresse et actualiter non aliter voluit contrahere: nam in foro externo, si talis conditio expresse apposta non probetur, standum est pro valore matrimonii; in foro autem conscientiae Raymundus debuit esse certus, quod contrahendo actualiter non alium habuerit animum, quam sub iis conditionibus contrahendi; sola enim habitualis intentio, vel potius talis dispositio non sufficit, qua quis ita comparatus est animo, ut non contraheret cum hac persona, si sciret eam non esse talem, qualem ipse putat, v. g. primogenitam, virginem, divitem etc. eoquod in contractu non attendatur ad id, quod quis faceret, si sciret, quae postmodum experitur, sed ad id, quod reipsa circa substantiam contractus facit. *Confirm.* Matrimonium est status perpetuus et indissolubilis; ergo nisi clare conditio excipiens circa qualitates exprimat, inconueniens est, ut alligatus credatur qualitibus, et accidentibus facile mutabilibus.

§. II. De impedimento conditionis.

1263. *Principium generale.* Impedimentum conditionis est, quod oritur ex ignorantia conditionis servilis, dum homo liber contrahit matrimonium cum mancipio, putans esse personam liberam. Per servum hic intelligitur stricte talis, scil. persona, quae vel ex nativitate, aut captivitate, vel emptione, aut aliunde domino alieno in perpetuum quoad dispositionem subest. Quod error conditionis invalidet matrimonium, constat ex c. *proposuit.* 2. de conjug. serv., ubi *Alex. III.* ait separandum esse matrimonium, quando liber ignoranter contraxit cum ancilla, nisi postea hoc sciens illam cognoverit; idem constat ex c. 4. *ibid.* In c. 3. eod. tit. *Urbanus III.* statuit, quod (si alicubi ex consuetudine partus sequatur conditionem patris) natus ex libero et ancilla liber sit, et ut liber matrimonium contrahat.

Dixi supra, *dum homo liber* etc. Si enim servus contrahat matrimonium cum serva, valide et licite contrahit, etiam invito domino, ut constat ex c. *dignum est.* 1. de conjug. serv. *Nec obstat,* quod servi, invito domino, non admittantur ad professionem religiosam, aut sacros ordines; quia per hos servi totaliter abstraherentur a servitiis domino suo debitibus, hoc ipso, quod per professionem et sacros ordines quis in perpetuum servitio divino mancipetur, per matrimonium non eximitur servitiis domino praestandis. Dixi 2. *putans esse liberam;* si enim liber conditionem servilem alterius partis, cum qua contrahit, sciat, matrimonium valet, ut constat ex can. 2. 4. 5. XXIX. q. 2. et c. 2. ac. fin. de conjug. serv.

1264. Q. I. An error conditionis dirimat matrimonium jure naturali, an ecclesiastico? R. Probabilius jure ecclesiastico; quia stante hoc errore adhuc manet substantialis consensus in hanc determinatam personam, et mutua corporum traditio; ergo contractus quoad substantiam subsistit, et nihil adest, quod impediatur contractum ex jure naturae. Ita plurimi cum *Sanchez* L. 7. d. 19. contra non paucos *Mastrii* sequaces, qui affirmant, quod infideli decepto liceat omni jure transire ad alias nuptias, postquam errorem conditionis cognoverit; secus secundum primae sententiae patronos.

1265. Q. II. An validum sit matrimonium personae liberae cum servo originario, et adscriptitio? R. *Affirm.* quia licet tales servi adscriptitii quamdam servitutis speciem praeseferant, eo quod dominis suis obstricti sint quoad certa obsequia, ita ut iis non liceat discedere a territorio sine remissione vel gratis facta, aut pretio remissionis persoluto, et insuper omnes praediorum redditus, dempto tantum necessario victu, dominis suis

afferre debeant; proprie tamen servi et mancipia non sunt, sed liberi. *Confirm.* ex l. 7. c. 37. n. 4. *Bened. XIV.* de Synod. Dioeces. ubi ita: *Quod autem affirmat Bohemerus jur. Eccles. Protestantium L. 4. tit. 9. §. 6., nempe in Pomerania, Westphalia, et Bohemia, ubi adhuc remanent vestigia antiquae servitutis, et etiam hodie reperiuntur homines proprii, hoc est existentes sub dominorum proprietate, istorum connubia non esse aliter valida, quam ex dominorum consensu; aut est accipiendum de servorum conjugis quoad effectus civiles; aut non est admittendum a Catholicis illis in regionibus degentibus, qui sanctioribus Ecclesiae legibus reguntur.*

§. III. De impedimento voti.

1266. *Princip. generale.* Votum solemne castitatis in religione approbata non tantum dirimit matrimonium contrahendum, aut subsequens, sed etiam jam contractum pure ratum, et nondum consummatum jure Ecclesiastico dissolvit; ita ut pars remanens in saeculo post professionem ab altero emissam possit et licite et valide inire aliud matrimonium; quem effectum non habet susceptio sacri ordinis, ut infra dicitur. Constat ex *Trid.*, quod sess. 24. can. 6. de Sac. matrim. ita definit: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit;* et ibid. can. 9. *Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto . . . , anathema sit.* Idem patet ex c. un. de voto in 6., et ex *S. Hier.* l. 2. contra Jovin. c. 7., ex *S. August.* in psalm. 38. et epist. 6. ad Theodorum Monachum.

Dixi, *votum solemne etc.*, quia votum simplex castitatis non dirimit, sed impedit tantum ex supra dictis, quo minus licite contrahatur matrimonium. *Excipe* vota simplicia Soc. Jesu, quae ex speciali constitutione *Gregorii XIII.* in Bulla: *Ascendente Domino*, matrimonium contrahendum dirimunt, quamvis antea contractum non dissolvant. *Laym.* de imped. voti n. 2. cum *Vasq. et Sanch.*

1267. De eo, qui post emissum votum simplex castitatis in matrimonium, ita habet *S. Thomas* in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. ad 3.: *Qui contrahit matrimonium per verba de praesenti, post votum simplex, non potest cognoscere uxorem carnaliter sine peccato mortali, quia adhuc restat sibi facultas implendi continentiae votum ante matrimonium consummatum.* Scil. intra duos menses jus adhuc habet ingrediendi religiosum ordinem: ergo vel deberet prius petere dispensationem, vel abstinere a copula, vel eligere religionem. Ibid. ad 4. addit *D. Angelicus*: *Talis post contractum matrimonium obligatur ad servandum votum; propter quod mortua uxore tenetur totaliter continere, et quia ex matrimonii vinculo non obligatur ad debitum petendum, ideo non potest petere debitum sine peccato, quamvis possit sine peccato reddere exigenti, postquam obligatus est ad hoc per carnalem copulam praecedentem. Hoc autem intelligendum est, sive mulier petat expresse, sive interpretative, ut quando mulier verecunda est, et vir sentit ejus voluntatem de redditione debiti; tunc enim sine peccato reddere potest, et praecipue si ei timet de periculo castitatis.*

1268. Q. II. Quas poenas incurrat Religiosus post professionem matrimonium contrahens? R. Ipso facto excommunicationem incurrit juxta *Clement. un. L. 4. de consang. et affin.*, ubi eandem poenam incurrit contrahens cum moniali, aut cum constituto in sacro ordine. Praeterea perpetuus concubinatus foret, quamdiu ab Ordine Religioso post professionem, vel post susceptum sacrum ordinem apostata uteretur matrimonio.

§. IV. De impedimento cognationis spiritualis.

1269. *Praenotandum.* Impedimentum cognationis est, quod ex cognatione vel carnali, vel spirituali, vel legali oritur. De spirituali cognatione traditur sequens:

1270. *Principium generale.* *Cognatio spiritualis* (quae est propinquitas personarum ex collatione, et susceptione sacramentorum Baptismi et Confirmationis proveniens) dirimit matrimonium contrahendum jure Ecclesiastico 1. inter baptizantem vel confirmantem, et inter baptizatum et confirmatum. 2. Inter baptizantem vel confirmantem, et inter parentes baptizati vel confirmati. 3. Inter patrinum vel matrinam, et inter baptizatum vel confirmatum. 4. Inter patrinum vel matrinam, et inter parentes baptizati vel confirmati. Patet ex *Trid.* sess. 24. c. 2. de reform. supra jam cit. n. 200. de Bapt. item n. 229. de confirm.

Dixi, *dirimit matrimonium contrahendum*; prius enim jam contractum non dirimit, v. g. si maritus baptizet, vel levet propriam prolem ex sua uxore natam, propterea non contrahit impedimentum, quo dissolvatur matrimonium, ex quo suscepit prolem a se baptizatam. Patet ex c. *Si vir.* 2. de cognat. spirit.

1271. *Si quaeras*, an in tali casu maritus baptizans, vel levans propriam prolem saltem privetur jure petendi debitum conjugale, vel liberetur obligatione illud reddendi? R. 1. Si id fiat in casu necessitatis, quo alius baptizans vel levans commode non possit haberi, non privatur dicto jure, c. *ad limina.* 7. XXX. q. 1. Nec privatur illo jure, si ex probabili ignorantia juris vel facti faciat; esset enim poena privans jure jam quaesito, quae ab ignorante non incurritur; si autem liberaretur ab obligatione reddendi debitum, id cederet in praesudicium conjugis innocentis. R. 2. Si extra casum necessitatis baptizet vel levet pater vel mater propriam prolem, sive scienter sive ignoranter, probabilius nec tunc privatur jure petendi debitum, nec liberatur ab obligatione illud reddendi, ut affirmant *Krimer*, et *Pichler* l. 4. Decret. tit. 11. de cogn. spirit. n. 7. cum *Amadaeo*, *Corvino*, contra alios graves AA. *Ratio* eruitur ex cit. c. *Si vir.* 2. de cognat. spirit., ubi *Alexander III.* ait: *Nobis videtur, quod sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint (maritus vel uxor), non sint ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debeat subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci.* Rubrica autem hujus c. sic habet: *Compaternitas scienter vel ignoranter superveniens inter conjuges conjugium non dissolvit.* Vide etiam c. 5. eod. tit. et can. 5. XXX. q. 1. *Confirm.* Tale impedimentum usus conjugalis nullibi claro jure expressum est, sed nititur solo doctorum consensu (ut fatetur *Laym.* hic contrarius L. 5. t. 10. p. 4. c. 8. n. 8.), ac praeterea privatio juris petendi debitum esset poena, et liberatio ab obligatione reddendi debitum studiose quaesita per baptismationem vel levationem propriae proles cederet in grave praesudicium innocentis conjugis. *Subsumo*: atqui poena non debet asseri sine claro et expresso textu juris, praesertim si illa simul cedat in grave praesudicium alterius: ergo. Objectiones fuse solvit *Pichler* l. c. et *Kugler* p. 2. de Impedim. matrim. q. 48. a n. 1909.

1272. Praeterea *resolves* I. Jure antiquo erant species cognationis spiritualis scil. 1. *Paternitas* inter baptizantem, confirmantem, patrinum ex una, et baptizatum vel confirmatum ex altera parte, quia hi sunt veluti patres spirituales respectu baptizati vel confirmati. 2. *Compaternitas* inter baptizantem, confirmantem, patrinum ex una, et parentes baptizati vel confirmati ex altera parte, quia hi omnes sunt compatres vel simul

patres respectu baptizati vel confirmati: et haec vocabatur *directa* compaternitas. 3. *Indirecta* autem se extendebat etiam ad uxorem baptizantis, confirmantis, et patrini, ut habetur c. *Martinus*, de cognat. spirit. 4. *Confraternitas*, quae intercedebat inter baptizatum vel confirmatum ex una, et inter naturales proles baptizantis vel confirmantis ex altera parte, ut habetur in c. 1. et 3. de cognat. spirit. Sed jure novo Tridentini duae postremae cognationes cessant, et sola manet paternitas et compaternitas directa. Unde hodie non contrahitur cognatio spiritualis cum effectu impediendi matrimonium inter patrinum et matrinam, neque inter plures patrilinos et matrilinas, si simul adhibeantur, neque inter illos, qui baptizantur vel confirmantur ab eodem ministro, neque inter baptizantem vel confirmantem et patrilinos, neque cum parentibus vel uxore ministri, neque cum conjugate patrini vel matrilinae, neque cum liberis, vel vitrico, vel noverca baptizati vel confirmati. *La Croix* L. 6. p. 3. n. 596.

1273. II. Qui assistit tantum, quando suppletur caeremoniae post baptismum privatim in necessitate collatum, non contrahit cognationem spiritualem, ut probat *Pignat.* ex Declarat. S. Congreg. t. 7. consult. 93. n. 4. quia haec suppletio non est baptismus.

1274. III. Si designatus patrinus per legatum vel procuratorem suscipiat baptizandum vel confirmandum, mandans, non procurator contrahit cognationem spiritualem. Ita teste *Tambur., Fagnan., et Pignat.* est decisum a S. Congreg., quia procurator non agit suo, sed sui principalis nomine. Vide *Laym.* l. c. n. 4.

1275. IV. Ut baptizans cognationem contrahat, 1. debet baptismus esse validus, alias nullus eam contrahet. 2. Debet *absolute* primum conferri baptismus. 3. Debet baptizans esse fidelis sive baptizatus, quia non baptizatus non subjacet legibus Ecclesiasticis; unde talis, si postea adhuc baptizetur, posset puellam a se baptizatam uxorem ducere. Similiter, si parentes baptizati non sint fideles, cum his non contrahitur cognatio. Non tamen necessario requiritur, ut baptismus sit solemniter. Hinc etiam in necessitate baptizans (excepto parente, ut dixi num. 1270.) contrahit impedimentum cognationis spiritualis: tum quia etiam non solemniter baptizans vere est spiritualiter regenerans; tum quia Ecclesia statuens hoc impedimentum non distinguit inter baptismum solemnem, et non solemnem. *Sanch.* L. 7. d. 62. num. 10. Ideo sponsus in necessitate baptizans prolem suae sponsae, contrahit impedimentum futuri matrimonii, solvunturque sponsalia, quamvis nesciret esse prolem suae sponsae, quia vere esset baptizans hujus determinatae prolis. Similiter si in privato baptismo in necessitate collato proles teneatur *formaliter*, h. e. cum intentione obediendi munus patrini, probabilius contrahitur cognatio, ex ratione mox data: secus si tantum *materialiter* teneatur, ut commodius administraretur baptismus, uti in necessitate saepe contingit. Ita *Schmalzgruber* h. t. n. 55.

1276. V. Si plures, praeter unum et unam a parentibus vel Parocho designatos, ab iisdem non designati tangant, vel levent baptizatum, illi non contrahunt cognationem spiritualem, ut clare colligitur ex verbis *Trid.* l. c. *Quid?* si per errorem contra *Trid.* plures fuerint designati a parentibus, et admissi a Parocho, cum ab eo debuerint repelli? R. Si fuerint designati successive, solus primus, vel solum duo primi designati, scil. unus, et una contraherent cognationem spiritualem; quia hi haberent omnes conditiones a Tridentino praescriptas: eodem modo, si plures designati successive tangerent baptizandum, solus primo tangens, vel unus et una primo tangentes illam contraherent. Si vero plures vel designati, vel non designati contra regulam Tridentini simul tangerent, proba-

bilius nullus contraheret cognationem spiritualem. Ita *Kugler* p. 2. de Impedim. matrim. n. 1360. et n. 1915. et 1920. cum multis contra multos. Et ratio est, quia Tridentinum videtur tanquam formam ad hoc, ut quis valide agat patrinum, requirere designationem, et efficaciter intendit vitare multiplicationem patrinorum, ac inde consequentium cognationum; ergo non observata lege Trident. vel per omissionem designationis, vel per multiplicationem patrinorum sine distinctione unius primarii vel primariae, valide non suscipitur munus patrini. Utrum in casu, quo plures, licet contra praescriptum *Trident.*, simul tenent eundem confirmandum sub Confirmatione, contrahant singuli cognationem spiritualem, iterum multi contra multos negant. *Clericatus* de Confirm. decis. 60. affirmativam tenet ex variis declarationibus S. Congreg., unde infert: Si uterque patrinus fuerat designatus a parentibus ad suscipiendum simul puerum in Confirmatione, ambo contraxerunt cognationem spiritualem: si vero eorum alter non fuerat designatus, sed Episcopo non advertente se intruserat in illa susceptione, hic nullam contraxit cognationem. *Ibid.* plura.

§. 4. De cognatione legali.

1277. *Praenotandum.* Cognatio legalis est propinquitas orta ex adoptione: dicitur *legalis*, quia a legibus inducta, originaliter quidem ex dispositione juris civilis, approbata postea a sacris canonibus. Est autem adoptio inventa in solatium orbitatis filiorum, per quam filios suscepisse videatur, qui illos non procreavit, ut arguitur in l. *si is, qui filium* ff. de adopt. Porro adoptio est duplex, scil. *perfecta*, quae dicitur *arrogatio*. Haec fit dum persona extranea sui juris, ex Principis rescripto ita transit in potestatem et familiam adoptantis, ut perinde ac filius legitimus et naturalis, fiat ejus haeres necessarius, tam ab intestato, quam ex testamento §. *cum autem*. 3. Instit. de adopt. item l. *impuberem* 2. Cod. de adopt. Altera *imperfecta*, alias *adoptatio simplex et in specie* dicta, quae fit plerumque, dum persona extranea (h. e. quae non est ex descendentibus adoptantis ceu filius aut filia, nepos aut neptis etc., quamvis alio modo possit esse consanguinea) constituta sub sui naturalis patris seu avi potestate, solius magistratus, alteriusve judicis competentis auctoritate in filium aut nepotem adsciscitur, quin tamen transeat in familiam et potestatem adoptantis, cujus propterea non fit haeres necessarius ex testamento, in quo praeteriri potest, licet eidem succedat ab intestato, §. 1. vers. *sed et hodie* Instit. de adopt. Denique haec cognatio iterum dividitur in tres species, scil. in paternitatem, fraternitatem, et affinitatem; de quibus statuitur

1278. *Principium generale.* Non solum paternitas, et fraternitas, sed etiam affinitas legalis dirimit matrimonium contrahendum. Hoc principium doctissime exponit. *Bened. XIV.* L. 7. de Synod. Dioec. c. 36. n. 4. ubi ait: *Civiles leges irritas decreverunt nuptias, primo inter adoptantem et adoptatum, atque ab isto descendentes; leg. Quin etiam* 55. ff. de rit. nuptiar. Inter hos cognatio vocatur paternitas. *Secundo inter adoptatum, et filios naturales adoptantis; leg. Per adopt.* 17. ff. eod. §. *inter eas.* Instit. de nupt. Haec vocatur fraternitas. *Tertio inter adoptantem, et uxorem adoptati, ac vicissim inter adoptatum, et uxorem adoptantis; leg. Adoptivus* 14. ff. cit. Haec dicitur affinitas. *Ibid.* ita pergit: *At id discriminis inter enumeratas personas adoptione conjunctas intercedere leges voluere, ut inter primas, quae sunt quodammodo in linea recta ascendentium et descendentium, nunquam, ne soluta quidem adoptione, matrimonium consistere valeat; ut enim dicitur in cit. leg. Quin etiam, semper nefas reputatur, eam*